# Prorogatio Magistri Cruciferorum.

12

Nos frater Martinus Truchszes Ordinis sanctæ Mariæ domus Theutonicorum Ihrosolimitan, magister generalis. Significamus tenore presentium, quibus expedit universis. Quod licet Serenissimus Princeps et dominus, dominus Kazimirus, Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque Dominus et hæres etc juxta conclusiones et tractatus in Conventione Novæ Civitatis novissime transacta firmatas, nobis et ordini nostro certam summam videlicet, quatuor millia florenorum Hungaricalium pro festo proxime venturo beati Martini solvere debuerat, et se sua Regia Majestas soluturum inscripserat, et obligaverat, prout latius literæ suæ Celsitudinis nobis desuper concessæ continent et exprimunt. Nihilominus, tamen consideratis suæ regiæ Majestatis, modernis opportunitatibus, et nonmediocris importantiæ negotijs desolutionem hujusmodi summæ quatuor millium florenorum pro Festo Beati Martini proxime instanti debenda supersedere, decrevimus, solutionemque ipsam nostro et ordinis nostri nominibus, incipiendo a festo Nativitatis Christi proxime venturo, usque

ad

ad aliud festum Nativitatis Christi per annum immediatè sequens expectare volumus et promittimus, terminumque hujusmodi celsitudinis concedimus et assignamus, et nec suam serenitatem de solutione eorundem, quatuor millium florenorum infra tempus proscriptum impediemus, ita tamen, quod hujusmodi terminij ulterioris concessio conclusionibus in ipsa conventione Novae Civitatis factis, nullo erit impedimento. Harum quibus subappensum est sigillum nostrum testimonio literarum. Datum in nostra Civitate Hoensteyn ipso die Sancti Michaelis Archangeli. Anno Domini millesimo Quadringentesimo octuagesimo.

Ta Kopia przepisana z oryginału pargaminowego dnia Czwartego Miesiąca Czerwca, Roku Pańskiego Tysiącznego Siedmsetnego Osimdziesiąt Czwartego. u którego dołu na Zawiasce pargaminowey wisi pieczęć.